Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8405
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

cor meum deus paratum cor meum. O cor quam delectabiliter paratum
quam libenter erectum ad suscipiendum divinitatis imperium dulce
imperium dicentis exsurge. Denique hoc est paratum habere cor
ita respondere exsurgo diluculo. Quicquid vero ad hoc solum erat
tale fuerat eius paratum cor. Nimirum et ad obediendum ut moreretur
fuerat paratum cor. Omnino fuerat paratum cor corpus suum dare
percutientibus et genas suas vellentibus faciem suam non autem ab
increpantibus et conspuentibus et omnia sufferre usque ad mortem mor
tem autem crucis. Ego autem inquit non contradico retrorsum non abii.
Decebat itaque esse paratum cor illud ad respondendum exsurgo
diluculo quod fuerat paratum ad obediendum patri suo non pro se sed
propter nos. Non ergo inquam causa nos lateat cur ita incipit
psalmi principium paratum cor meum et cur non contentus semel
dixisse dixit semel et iterum Paratum cor meum deus paratum cor meum. Quod iste vir ille sit de quo dicebat sapientia Vir obediens loquitur victorias
Igitur vir iste. Numquid non est iste de quo Capitulum xxvii
sapientia dicebat Vir obediens loquitur victorias. Denique et
si sunt ut fuerunt viri multi obedientiae filii, Iste unus vir unicus
et singularis cui non fuit nec est nec erit aliquis similis aut obediens
in re simili vel pari. Hic solus vir meo obediens est quod nullum
omnino habens peccatum humiliavit semetipsum pro voluntate dei propter
peccata aliorum et usque ad mortem se humiliavit mortem autem crucis. P
inde decet eum tam obedientem virum loqui victorias et ecce loquitur
eas locutione ineffabili locutione sempiterna. Cuiusmodi locutio
est illa? Profecto valde clara valde sonora quia ipsa est demonstra
tio plagarum suarum quas in ipsa suscepit obedientia. Quinque plagae
eius quasi quinque linguae sunt. Plagarum suarum cicatrices ideo in cor
pore suo retinuit et servavit ut victorias suas semper loquatur
illis quasi linguis. Cui loquitur? Revera primum deo patri. Deinde
angelis et hominibus sanctis omnibus electis omnibus. Videt pater deus
et pulcherrimis testimoniis victoriarum delectatur. Vident angeli et laudem
et gloriam exaltant. Vident homines redempti et ingentium actionum vere
invisibiliter extenduntur. Sequitur capitulum xxviii. De quinque plagis eius quae signacula sunt iustitiae viri huius obedientis quae nos suscepimus in baptismo eius esse signati
Dicimus ad apostolum et dicentis apostoli sensum intelligimus quia pater abra
ham accepit et posteris suis tradidit signum circumcisionis sig
naculum iustitiae fidei. Crediderat enim ut fidelis deo directi. In semine